DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A...

Stefano Spinola, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO XIII.

PONT. MAX.

STEPHANUS SPINULA

Felicitatem.

*QVod aliis maximè optandum videbitur, B*EATISSIME *P*ATER*, Te adire, non modò quam ſperabam mihi afferre laetitiam*

Digitized by Google

non ſentio; ſed longè quàm par eſt majorem animo metum incutere. Licèt enim tantam eſſe audio benignitatem, tam ſingularem clementiam Tuam, ut nulli viſu, nulli affatu difficilis ſis; quod ei convenire imprimis cognoſcis, qui ſe omnium patrem eſſe, & gerere jandiu didicit: tamen, neſcio quomodo, terret oculos, animumque, quam vultu praeſers ſummorum Pontificum majorum Tuorum majeſtas, & amplitudo. Cùm praeſertim rude hoc, atque indigeſtum tibi orationis ſiſtam de ineffabili Trinitatis myſterio, illud mihi occurrit identidem, quàm acerrimum veritatis ejuſdem aſſertorem ſe geſſerit in Lateranenſi Conventu Innocen-

Joachimi Abbatis Florenſis libellus de unitate, ſeu eſſentia Trinitatis reprobatur ab Inn. III. Lateranenſi Concilio IV.

centius III, probatiſſimus idem, ac ſapientiſſimus avorum Tuorum: quo fit, ut dum Tibi me ſiſto, non tam mihi clementiſſimum patrem adire videar, quàm ſeveriſſimum judicem. Hoc tantùm mihi aliqua ex parte ſive metum minuere, ſive etiam ſolatium aliquod adhibere comperior, quòd mihi ex aequo glorioſum ducam tanto probari judice, quàm damnari; cùm praeſertim vera utrinque ſit laus, ſeu veritatem agnoſcere, ſive in eadem firmari. Hac ſpe fretus, iis intereſſe audeo cogitationibus Tuis, quibus, de communi ſalute Tibi commiſſi populi ſollicitus, invictâ conſtantiâ, ſtudes Eccleſiae unitati, & paci: ne, quam fruſtra to-

 ties

Digitized by Google

ties perditiſſimi hoſtes tentare non deſtiterunt, imprudentes filii valeant labefactare. Atque utinam, quemadmodum eodem Innocentio Tertio Pontifice Maximo, cujus non minùs haeredem gloriae, quàm factorum imitatorem Te praebes, in matris Eccleſiae ſinum eos confugiſſe legimus, quos ab eadem temporum infeliciſſimorum calamitas abduxerat: ita nunc ultrò ad Te, diſtractis controverſiis omnibus, redeuntes quoſcunque, ſeu mentis error, ſeu perverſitas animorum tranſverſos egit, in unum omnes ovile contrahi, unique Tibi Paſtori obedire videamus. Id utique dum non imprudens, & ſpero, & voveo, BEATISSIME PATER, *ad*

Tuos

Digitized by Google

Tuos Sanctiſſimos Pedes obvolutus Deum impenſiſſimè deprecor, ut Eccleſiae ſuae, cui Te inſtar ſummae felicitatis rectorem conceſſit, tantum bonum diù, multùmque conſervet.

Digitized by Google

Digitized by Google



Sebastianus Conca inu. et delin. Ant. Friz. Sculp

ORATIO.

FElices, Beatissime Pater Jordanis aquae, ſuper quibus ad Jeſu Chriſti baptiſma ſe ſacroſancta Trinitas patefecit: in voce de caelis delapſa, Pater; in Chriſto baptizato, Filius; in Columbae ſpecie, Spiritus Sanctus. Sed haec tanti myſterii ſymbola, iis licèt clariora, quae Judaeis de ipſo tradita fuerant, nondum tamen aperta penitus. Longè ideò felicior Romana civitas, quae Apoſtolorum Principis Euangelio, ineffabile Trinitatis ar-

Digitized by Google

arcanum, & inconcuſſam ejuſdem veritatem percepit. Ea enim urbs, quae magiſtra erat erroris, unius voce piſcatoris edocta, in obſequium fidei intellectum captivans, facta diſcipula veritatis, Unius, Trinique Dei doctrinam eſt amplexata. Tunc certè infeliciſſima civitas in ſummo felicitatis faſtigio, tot domina gentium, quot fermè tunc orbis noverat; non tam arma, & victorias, quàm ſuam ubique ſuperſtitionem invexerat: ut ſuis non modò legibus omnes parerent, verùm etiam ſervirent erroribus. Jam enim tot ſibi inanium Deorum commenta effinxerat, quot metus, vel aſſentatio, vel continendi in officio populos conſilium comminiſci potuerat. Meliùs tamen, Roma, de Te, licèt immerente Deus ſenſit, meliùs tibi conſuluit; ut ſcilicet ex ignorantiae Principe, caput veritatis evaderes: & TRINITATIS fidem ediſcens, quae in omnium gentium revelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effun-

Leo Pap. ſerm. 1. de Apoſt. Petr. & Paul.

Digitized by Google

effunderet. Etenim quàm mira ſunt; quae tunc de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto audiſti, ut mox una gentes ſingulas edoceres? Patrem audiſti, & doces: Divinitatis eſſe fontem, atque principium; principium non de principio; radicem, & fontem Filii, & Spiritus Sancti. Filium audiſti, & doces: principium eſſe de principio; Deum, viventis Dei vivam imaginem; ſplendorem Dei gloriae, figuram ſubſtantiae ejus, & portantem omnia verbo virtutis ſuae. Spiritum Sanctum audiſti, & doces: Patris eſſe, Filiique imperturbabilem pacem, indiſſolubile vinculum TRINITATIS; charitatis, & pacis ſuaviſſimum oſculum, mutuique amoris amplexum beatiſſimum. In his attamen tribus numeratur Beata TRINITAS, non naturis, deitatibus, dominationibus; quia fides noſtra nullum deorum numerum ſuſcipit; unus enim eſt diligens eum, qui ab ipſo eſt; unus eſt dilectus ab eo, â quo eſt; una eſt dilectio utriuſque Spiritus Sanctus;

Baſil. tom. Homil. 27.

Laurent. Ju lib. de obed.

ctus;

ctus; idem tamen Deus. His initiata myſteriis ſupra ſe mens attollitur, diuque cum philoſophia colluctata, quae apud ſapientes ſaeculi, & capere impervium, & credere ſtultum foret, nullo certitudinis, veritatis, prudentiae diſpendio, credit, & confitetur. Huc itaque accedant toto orbe à nobis diviſi idolorum cultores populi, ſedentes in tenebris, & in umbra mortis; cryptarum tuarum adyta penetrent, & TRINITATIS fidem tot martyrum ſanguine ſignatam condiſcant. Nos quoque beatos, qui & citra diſcrimen hoc ſanguinis iſta credimus, nec jam Roma martyr eſt fidei, ſed magiſtra, & judex. Ac utinam, quam pacem Eccleſiae matri tot à ſaeculis tyranni non turbant, filii degeneres non turbarent. Faxit auguſtiſſima TRINITAS, ut his quoque veritatis lumen praeluceat: & quae tot oraculis freti ſperamus, rata habeat in caelis, atque conſtantia.

FINIS.

Digitized by Google